

FROWINUS

ABBAS COENOBII MONTIS ANGELORUM APUD HELVETIOS

NOTITIA

(D. MABILLON., *Annal. Bened.*, t. VI, Append., p. 657)

In percelebri monasterio Einsidensi inter alia duos codices invenimus, opera continentia Frowini monachi primum Einsidensis, dein abbatis in Monte Angelorum apud Helvetios Subsilvanos post sanctum Aldhelnum, qui primus loco praesuit a conditione caenobii per beatum Conradum facta sub anno MCXIV. Primus codex in-quarto, ut vocant, expositionem in Orationem Dominicam complectitur : secundus in-folio, libros septem De laude liberi arbitrii, uti opus suum inscribit auctor ipse, seu potius de praecipuis theologiis questionibus, quas Frowinus erudit, solide, et pro tempore eleganter pertractat. Adversus quorundam errores novitatum, fortasse adversus Petrum Abaelardum. Eodem quippe tempore Gerhonus, Reichersbergensis in Bavaria praepositus, Opusculum contra discipulos Petri Abaelardi scripsisse memoratur. Quo minus mirandum, si ad Helvetios hujus sectae fama penetraverit, et Frowinum id scribendum impulerit. Optandum esset, ut nostri Einsidenses, quorum maxime interest, et qui postremum hoc opus jam descriptum, ac prelo paratum habent, suis typis illud emitterent in lucem. Interim prologum Frowini in expositionem Orationis Dominicæ, itemque præfationem in libros septem De libero arbitrio cum capitulationibus hic edimus in quamdam prægustationem futuræ editionis. Initio sequentes versus præmittit auctor.

Vive precor Berhtolth, tibi sit Dominus rogo filiolt (1).

A te quod liber sim, docet iste liber.

Hunc librum vovi, nunc promissum tibi solvi.

Jus est, si sapias, gratus ut accipias.

INCIPIT PROLOGUS FROWINI ABBATIS IN MONTE-ANGELORUM IN EXPLANATIONEM DOMINICÆ ORATIONIS.

Quamvis sim labilis memorie, tenaciter tamen memini tuam dulcissimam dilectionem, o venerabilis presbyter Berhtolde, a mea parvitate exegisse, quatenus ingenioi mei capacitatem in explanatione Dominicæ Orationis ostenderem, qua de re diu et multum apud me hæsitatum est. Deliberavi enim utrum satius esset charitati petentis obedire, et ob hoc morsibus invidorum patere; an quod jusserit charitas denegare, et ob hoc Deum charitatem forsitan offendere. Verum in ea constituit tandem animus meus sententia, qua tutius esse judicavi Deum placatum habere, quam obloquentum patere livori. Itaque hoc statui illicet sciens, manus in

A flaminas mittere, id negotii quod mihi imponeres, aggrederer, non nova, sed quæ a Patribus de Dominicæ Oratione, licet sparsim dicta sint, aliqua colligerem. Quapropter tua refert orare, quatenus propitia Divinitas adjuvet perficere, quod inspiravit velle. Igitur quam sufficiens, quam conveniens sit ea quæ dicitur Dominicæ Oratio, licet tenuerit, tamen elucidare pro captu meo operam dabo.

Nemo nescit homo, Deum hominem cum libero arbitrio condidisse, etc.

(In fine, *Explicit liber explanationis Frowini abbatis.*

Hoc precor, hoc kortor, dic devota prece lector,
Felix Frowinus quod sit, agat Dominus.

Ut verum lumen cælestis daret sibi numen,
Hujus scripta libri nam studuit fieri.)

(1) Id est multum amicus Germanice.

EJUSDEM FROWINI

DE LIBERO ARBITRIO AD ADELBERTUM MONACHUM LIBRI VIII

*Has Frowin chartas electo dogmate farta
Fecit conscribi : fac bene, Christe, sibi.*

INCIPIT PRÆFATIUNCULA SEQUENTIS OPERIS. B ingenii agilis acumine validum, et gratiæ adjuvantis Desiderio tuo, frater Adelberte, morem gerere curavi, ob eam vel maxime causam quod te et lumine fretum, indagandæ veritatis studiis invigilare perpendi. Hoc itaque opusculum congessi, excerptum PATROL. CLXXIX.